

Q. N. 352, 70.

X 231 6499

IIc  
232

COMMENTATIO  
 DE  
 SENSU VERBORVM  
 ANAXAGORAE  
 QVIBVS ADFIRMAVIT  
 CAELVM TAMQVAM VERAM  
 PATRIAM SIBI CVRAE ESSE  
 QVA  
 ORATIONEM CAVSSAS EXPOSITVRAM  
 CVR OBLIGATIO NATALIS SOLI IN  
 NOS NVLLA SIT  
 CRAS BONO PROPITIOQVE DEO  
 LOCO AC TEMPORE INFRA INDICATIS  
 HABENDAM  
 RITE INDICIT

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
 HALLE  
 (SALLE)

M. IO. GEORGIUS Schulze

SCHOLAE CATHEDRALIS RECTOR

BIBLIOTHECA  
 PAVLIANA

NVMBV RGI,

Typis BALTH. BOSSOEGELII, priuil. Typogr.

N

 \*            \*            \*  
 On eadem omnium, qui sapientiae lau-  
 de floruerunt, de patria fuit sententia.  
 Fuerunt, qui cum CICERONE \* ad-  
 firmarent, patriam omnes omnium ca-  
 ritates complecti, neminemque bonum pro illa  
 mortem oppetere recusaturum, siquidem sciret,  
 hoc illi esse profuturum. Alii contra nullam ali-  
 am, quam vniuersum mundum agnoscere volu-  
 erunt patriam. Ita certe animatus fuit \*\*SOCRA-  
 TES, qui interrogatus, *Cuias esset? Mundanum*  
*se esse* pronuntiauit: propterea quod totius mundi  
 se incolam et ciuem arbitrabatur. In cuius senten-  
 tiam discescit DIOGENES ille Cynicus, \*\*\* qui  
 de patria interrogatus, *κοσμοπολίτην* se esse dixit,  
 significans, \*\*\*\* omne solum forti viro esse pa-  
 triam.

\* De officiis libr. I. c. 19. Ac CICERONEM quidem intellexisse pa-  
 triam *non naturae, sed ciuitatis, non loci, sed iuris*, liquido appa-  
 ret ex libro II. de *legibus*. Ibidem tamen docet, non multo secus dul-  
 cem esse patriam, quae nos *genuerit*, quam illam, quae *exceperit*.

\*\* Vid. CICERO Tuscul. quaest. lib. V. c. 37. PLVTARCHVS tom.  
 II. op. moral. p. 521.

\*\*\* DIOGENES LAERTIVS. lib. VI. p. 425.

\*\*\*\* OVIDIVS Fast. lib. I. v. 493.

Omnium vero optime de patria sensisse videtur  
 ANAXAGORAS, qui rem et publicam et priua-  
 tam negligens, vt totum se philosophiae daret, \*  
 cuidam se ita compellanti: *Nullane tibi patriae cura*  
*est?*

est? erecto in caelum digito, respondit: *Mibi ve-  
ro patriae, caeli nimirum, cura est, et quidem maxi-  
ma*\*\* . Quae verba ita quibusdam, doctrinae fa-  
ma celeberrimis, viris placuerunt, \*\*\* vt existima-  
rint, eundem illorum esse sensum, quem dicti  
Paullini, quo ciuitas nostra in caelo esse perhibetur  
\*\*\*\* . Sed quod alias in prouerbio dicitur, *duo cum  
dicant idem, non esse idem*; id in philosophorum  
placitis, si cum diuiniore litteris conferantur, ve-  
risimum deprehenditur. Sic multi tam veterum,  
quam recentiorum fuerunt, qui consensum PLA-  
TONIS cum doctrina christiana demonstrare cona-  
rentur \*\*\*\*\* . SENECAE in primis dicta multis ita  
arident, vt eundem illa sensum habere existiment,  
quem effata virorum, qui diuino instinctu excitati  
scripserunt. Sed hi nihil agunt aliud, quam vt signi-  
ficent, se philosophorum placita non cognita habe-  
re atque perspecta; nec, quam foeda mens sub splen-  
didissimis eorum verbis lateat, peruidere.

\* CICERO de Orat: I, III. c. 15. LAERTIVS. I. II. p. m. 92.

\*\* LAERTIVS. I. c.

\*\*\* HEVMANNVS in Actis philosophicis p. 206.

\*\*\*\* PHILIPP. III. 20.

\*\*\*\*\* Obseru. Hallenses tom. III. n. XIII. § III. IV. p. 235. Io. Albertus  
Fabricius. I. III. biblioth. graecae c. I. p. 39. BVDDEVS de atheis-  
mo et superst. p. 96.

Quod vero verba sigillatim ANAXAGORAE  
christianum non admittant sensum, liquido appa-  
rebit; si, de patria caelesti, quid christiani homi-  
nes,

nes, secundum diuiniore litteras, credant, et quid ANAXAGORAS sibi persuaserit, accuratius paulo conferre voluerimus.

Ac christianus quidem coetus credit, caelestem dari patriam; illam vero non collocat in caelo aëreo sidereoque, quippe quod die nouissimo conflagrabit; sed ingenue fatetur, se nescire, vbi sedes illa, numquam desituris adfluens deliciis, inueniatur. Deus enim hoc nobis reuelare noluit, vt aeternam felicitatem consequi studeamus potius, quam vt eius sedem sollicitè indagemus. Atque in hanc ciuitatem caelestem adscripti sunt ante, quam haec rerum vniuersitas conderetur, illi omnes, quos Deus praeuidit vera fide Christi promeritum, ad finem vsque vitae, esse complexuros. Seruator enim optimus nobis hanc caelestem impetrauit ciuitatem eo, quod corporatus et carne tectus, diuina lege impleta, exquisitissimis se cruciatibus, mortique deterrimae exposuit. Donec autem illi, qui Christo adhaerent, adhuc in terra versantur; *iis habent*, vt cum iureconsultis loquar, *ad rem*, et mente tantum ac cogitatione praecipunt ea bona, quae aliquando plene in caelo sunt percepturi. Simul ac autem eorum animae, depositis corporum exuuiis, in sedem beatae immortalitatis recipiuntur; iis deliciis perfruuntur, quae verbis pro dignitate ne ab eloquentissimo qui-

quidem exprimi possunt. Neque corpus expers manet huius beatitudinis, sed die nouissimo restauratum, et cum anima iterum copulatum, caelestis ciuitatis felicitatem aeternum persentiscet. Atque ita quidem in republica christiana de caelesti patria docetur.

Num vero idem ex verbis philosophi nostri supra allegatis elici possit, vehementer dubito. Per patriam enim caelum aëreum fidereumque se intelligere, ipse digito intento ostendit. Idem confirmauit verbis \*, quibus interrogatus, quem in finem natus esset? declarauit, se ideo a Deo esse conditum, ut caelum, solem et lunam contempleretur. Quam responsionem ANAXAGORAE, ab omnibus licet approbatam, et philosopho dignam iudicatam, false deridet LACTANTIVS, \*\* quod ea declararit, se, rebus conditis adhaerescentem, conditoris nullam habere rationem. Propterea IACOBVS THOMASIVS \*\*\* sibi hoc negotium datum esse putauit, ut hoc LACTANTII minus aequum iudicium verbis castigaret; qui tamen ipse a celeberrimo HEVMANNO \*\*\*\* reprehensus fuit, quod negligentiam LAERTII in exponendis philosophorum vitis non animaduernerit, qui ex vna re gesta duas effinxerit historias, falsamque ANAXAGORAE adfinxerit sententiam.

\* Vid

\*Vid. LAERTIVS. l. c. § 10.

\*\*L. III. Instit. c. 9. libro eod, c. 12. et. 23.

\*\*\*Vid. Obseru. Hall: tom. II. dis. XIV.

\*\*\*\* Vid. Acta philosophica. p. III. p. 217.

Quoquo autem modo se res habet illud profecto inde liquido apparet, ANAXAGORAM caelum intellexisse aethereum sidereumque, cum illud suam appellaret patriam. Atque in hanc patriam se aliquando peruenturum putauit, non secundum corpus: siquidem gentes cum PLINIO \* corporum mortuorum resuscitationem pro deliramento inani et anili fabula habuerunt. Secundum animam igitur, tamquam meliorem sui partem, existimauit ANAXAGORAS, se patriam, caelum, esse repetiturum. An vero putauerit, animam suam, ut rem singularem, in caelo exstituram, id nemo temere affirmare audebit. Colligi id quidem posse videtur ex verbis, quibus mortem definiuit \*\*, cum dixit, *eam esse animae a corpore diuulsionem*. Quod si vero consideramus definitionem, qua ipsius animae vim exposuit, dum dixit, eam esse corpus, idque aëreae naturae; \*\*\* nihil aliud sinit: consequitur, quam ut existimemus, eum credidisse, animam suam, corporeis vinculis liberatam, in aërem resolutum iri. Atque hunc sensum ex verbis eius elicit OLEARIVS\*; quamquam BRVCKERVS \*\* adhuc dubitet, an ille inde

de necesario emergat. Ceterum cum PLATO  
\*\*\* ingenue fateatur, certam de animarum im-  
mortalitate demonstrationem in hac vita exspe-  
ctandam non esse, nisi quis diuino niti possit te-  
stimonio; cumque alii philosophi, alias acutissimi,  
ita animarum immortalitatem admiserint, vt eas,  
a corpore separatas, vel in essentiam Dei vel in  
spiritum mundi reuerti statuerint: de ANAXA-  
GORA vix aliud nobis persuadere possumus, quam  
eum credidisse, animam suam in aërem, tam-  
quam in principium suum, esse redituram.

\* Vid. Hist. natural. l. II. c. 7. et l. VII. c. 55.

\*\* Vid. PLVTARCHVS. l. V. de placitis philosophorum c. XXV.

p. 52.

\*\*\* Idem PLVT. l. c. l. III. c. II. p. 36.

\* Ad STANLEI P. II. c. 2. p. 104.

\*\* In quaestionibus ex hist. philos. parte. I. p. 410.

\*\*\* In dialogo, qui *Ἐπίδωρον ἢ περί ψυχῆς* inscribitur.

Id quod nostri litterarum alumni sedulo sibi an-  
notandum putent, ne verbis philosophorum spe-  
ciosis eum statim sensum tribuant, qui ex effatis  
spiritus sancti promanat. Hoc enim si facerent, in  
crasum se induerent errorem, existimantes, ho-  
mines istos profanos idem verbis suis indicare vo-  
luisse, quod coetus christianus, diuino lumine collu-  
stratus, de animae nostrae immortalitate credit.

Atque hoc scribendum nunc esse existimaui, dum  
id ago, vt auditores conciliem, THEODORO  
AVGVSTINO LAVRENTIO, Budstadii in  
Thu-

QK II c 232

Thuringis nato, quem non formae magis, quam  
morum elegantia commendat. Ille enim non prius  
a nobis facere voluit discessionem, quam omnibus  
bene de se meritis gratias egerit, habitaque oratio-  
ne declararit, se non indignum esse, qui in acade-  
miam dimittatur. Eo consilio, pro suggestu scho-  
lastico, argumentis in medium adlatis, demonstra-  
re conabitur, natalis soli, quod loci patriam vocat  
CICERO, nullam in nos esse obligationem. Pro-  
cuius salute pia vota precesque faciet HENRI-  
CVS SAMVEL *Thieme* Numburgensis, scholae  
nostrae alumnus probus et diligens, cum de cogna-  
to argumento, de ciuitate Dei, quae christianorum  
hominum patria est, per vniuersum mundum pa-  
tens, verba fecerit. Ego vero Deum precor, vt  
damna, quae, per obiecta saepius impedimenta, in  
studiorum cursu fecit, in academia sarciri patiatur.  
Vos autem, scholae nostrae STATORES ac PA-  
TRONI, litterarum humaniorum FAVTORES, et  
quicumque rebus nostris bene cupitis, demisse, of-  
ficiosè ac peramanter rogatos volo, vt cras hora X.  
matutina, ad hos declamatores beneuole audien-  
dos, quod commodo vestro fiat, frequentes con-  
ueniatis, vobisque persuadeatis, nos conspectum  
vestrum signum animi in nos propensi certissimum  
esse habituros. P. P. Numburgi. XIII Cal. Mai.

A. R. S. c13 10 ccxxxv.

\* \* \*

ne







Q. N. 352, 49.

X 231 6499

Π C  
232

COMMENTATIO  
 DE  
 SENSU VERBORVM  
 ANAXAGORAE  
 QUIBVS ADFIRMAVIT  
 CAELVM TAMQVAM VERAM  
 PATRIAM SIBI CVRAE ESSE  
 QVA  
 ORATIONEM CAVSSAS EXPOSITVRAM  
 CVR OBLIGATIO NATALIS SOLI IN  
 NOS NVLLA SIT  
 CRAS BONO PROPITIOQVE DEO  
 LOCO AC TEMPORE INFRA INDICATIS  
 HABENDAM  
 RITE INDICIT

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SÄMML.)

M. IO. GEORGIUS Schulze  
SCHOLAE CATHEDRALIS RECTOR

BIBLIOTHECA  
PRAEDICANTIANA

NUMBURGI,  
Typis BALTH. BOSSOEGELII, priuil. Typogr.

